

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 3562

**Auteur(s) :** Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Évreux (hôtel-Dieu)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1257, juillet

**Lieu d'émission :** Évreux

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Louis [IX], roi de France, concède aux pauvres de l'hôtel-Dieu d'Évreux la dîme du blé de Garencières avec l'accord du chapitre d'Évreux et du prêtre de l'église de ladite paroisse. Pour cette portion donnée par le roi, le chapitre d'Évreux consent à célébrer les obits du roi Louis [VIII], de la reine Blanche et du roi Louis [IX] après leur décès.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 590, p. 109.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod cum in parrochia de Garenceriis haberemus et perciperemus quamdam decimam bladi, nos, divine pietatis intuitu, et pro anime nostre remedio, necnon et antecessorum nostrorum, de dicta decima, decani et capituli Ebroicensis necnon et presbiteri parochialis ecclesie interveniente consensu, taliter ordinamus, quod videlicet totam decimam, quam percipiebamus ibidem, Domui Dei Ebroicensi et pauperibus ibidem degentibus in elemosinam concessimus, hoc modo percipiendam perpetuo et habendam, quod, quandocumque valor dictae decime per annum ad estimationem quatuor modiorum vel amplius se extendet, magister et fratres Domus Dei predicte presbitero parochialis ecclesie unum modium, et capitulo et ecclesie beate Marie Ebroicensis unum modium, de proventibus dictae decime sine difficultate qualibet solvere teneantur. Si autem in dicta decima minus fuerit quam IIII or. modii, magister et fratres predicte Domus Dei medietatem tocius decime percipient et presbitero parochialis ecclesie ac dicto capitulo Ebroicensi persolvent medietatem aliam inter ipsos equis portionibus dividendam. Quas quidem portiones, sicut predictum est, memoratis presbitero parochiali, capitulo et ecclesie Ebroicensi in puram et perpetuam elemosinam dedimus et concessimus, pro salute anime nostre et pro antecessorum nostrorum animarum remedio salutari. Cum autem dicti decanus et capitulo in ecclesia sua anniversarium inclite recordationis regis Ludovici, genitoris nostri, et regine Blanche, genitricis nostre, consuevissent antea celebrare, nec ulla ad hoc distributiones perciperent vel haberent, sicut constanter asseruerunt in nostra presentia constituti, adhuc etiam concesserunt nobis et promiserunt sepedictorum genitoris et genitricis nostre necnon et nostrum post obitum anniversaria celebraturos in posterum, et quod hec in suo martilogo, ad evidentem et perpetuam hujus concessionis memoriam, inseri facient et inscribi. De hoc autem quod ipsi percipient, distributiones fieri volumus in anniversariis antedictis. Quod ut perpetue stabilitatis robur obtineat, presentem paginam sigilli nostri auctoritate et regii nominis caractere inferius annotato fecimus

communiri. Actum Ebroicis anno incarnationis dominice millesimo CCmo. quinquagesimo septimo, mense julio, regni vero nostri anno XXX<sup>o</sup> primo, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt et signa : signum Johannis buticularii ; signum Alfonsi camerarii ; signum Egidii constabularii ; dapifero nullo. Data, vacante cancellaria.